



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quòd illa Deo plus placeat, quàm munus, id est opus etiam
quodcunque.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

2. Secundò, hoc recõciliationis opus plùs Deo placet, quàm vllum aliud opus bonũ quantumcunq; etiam speciosum : quia Deo non placet aliquod opus, quod fit irreconciliato proximo nostro: idcò 1. Ioan. 4 dicitur : Si quis dixerit quoniam diligo Deũ, id est, mandatum & cultum eius seruo, ieiunium, orationẽ, Missam, & fratrem suum odit, mendax est : qui enim nõ diligit fratrem suum quem videt, Deum quẽ non videt, quomodo diligere potest? Erat in veteri testamento opus præcipuum, offerre vitulos, arietes, hircos, columbos, &c. Leuit. 2.3. 4. quos cultus & sacrificia Deus præcepit, attamen Christus Dominus noster docet, quòd ille Deo non placet, sed nobiliorem cultum esse, vt seruemus Dei præcepta & reconciliationẽ proximi. Nullum igitur opus Deo placere potest, siue id sit prophetia, scientia, fides, eleemosyna, castigatio corporis, nisi pacato proximo, 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, &c. Dilectionem igitur & misericordiã Deus imprimis præcepit & exigit, plùs quàm sacrificium aut vllum opus nostrum. Quando igitur proximus tuus placatus fuerit, tunc Deo placebunt & opera tua. Quare Christus ampliùs dicit Matt. 5. Esto consentiens aduersario, id est, concorda cum aduersario, tuo citò, citò inquit, dum es in via cum eo, id est, in præsentì vita, ne fortè tradat te aduersarius, id est, ira iudici Deo, & iudex tradat te ministro, id est, diabolo. Nam qui nihil vult remittere proximo suo, & tamẽ peccat quotidie, illi referuabuntur omnia sua peccata, & satisfacere tandẽ congetur vltimũ quadrantem. Ideò ait Christus, Remittite, & remittetur vobis. Luc. 6. Mat. 6 aliàs nunquã consequeris indulgentiam. Sic Luc. 6. inquit Christus, Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est, id est, ob eandẽ causam condonate, quia pater cœlestis condonat : ille enim remittit propter suam bonitatem offensam, & nos propter eandẽ patri-

patris bonitatem exhibitam in gratiarū actionē Deo patri, cōdonare debemus pximo nostro. Hoc signum gratitudinis est recepti beneficij Christi, remittere offensam proximo: quod si non fecerimus, tūc cæcus cæcū ducit, & ambo in foueam cadunt perditionis: ambo ira obcæcati, æternam lucent pœnā, nisi indulserint sibi mutuò delicta: Et iterum loquitur ad illos qui nolunt indulgere, Luc 6. Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Sic magni æstimas quod tibi fecerit homo: sed quid tu Deo feceris, non ponderas &c. Est igitur post fidem in Christum maximum opus dilectio proximi, reconciliatio, concordia, & beneuolentia: sine hac dilectione Deo non placet vel fides, vel oratio, vel eleemosyna: ideò dicit, vade primū reconciliari fratri tuo, & postea veniēs, offeres munus tuū, id est, facias quod cunq; opus bonū, & tunc Deo placebit: nō enim opus aliquod bonum rejiciur, sed inuidia cordis & odium, quæ omnia opera nostra contaminant.

Tertiò, quoniā Christus dicit, Remittite, & remittetur vobis: & docuit nos orare, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitorib. nostris: 3. Luc. 6. Matt. 6. igitur patet quòd nostra dimissio offensæ proximi & reconciliatio, meretur nobis apud Deum nostrorū debitorū remissionem. Sed si hoc verū est, Christus gratis venit in mundū, Ga. 5. cui soli tribuitur quòd eius mors & sanguis & meritum tollunt peccata mundi, vt Ioan. 1. Nam hoc certū est, quòd peccatum propter opus Christi, id est, mortem, condonatur: non ppter opus humanū. Ad hoc respōdetur, quòd fides nostra certa est & conscientia, quòd a solo Christo expectamus remissionē & iustitiā. Sic inquit Apostolus Rō. 4. Ideò ex fide, vt promissio sit certa, sed hæc fides nō est vera fides, nec rectè qrit in Christi morte remissionem, si nō primū remiserit offensam fratri suo: quòd modò